



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Dvrando De Osca, & Willelmo de S. Antonio, eorumque fratribus in fide  
catholica permanentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

indubitanter certifico quod omnes prædictos articulos compositionis inter me & Portugalensem Episcopum factæ admitto gratanter & approbo, & promitto firmiter me in omnibus & per omnia sine dubio fieri deliter servatum. Si vero, quod Deus avertat, à die qua ipse intraverit super his quæ inventa non fuerint in episcopatu tentio aliqua de restitutione facienda emerserit, concedo ei securitatem bona fide & hominibus atque rebus ejus eundi & redeundi ad vos, quotiens voluerit, pro sua justitia super restitutione illorum quæ defuerint consequenda.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentre presumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

*D V R A N D O D E O S C A ,  
& Wilhelmo de S. Antonino, eorumque  
fratribus in fide catholica permanentibus.*

*Epiſt. 77.  
De negotio  
Durandi de  
Osca & locio-  
rum.  
Vide ſupradicta  
epiſt. 63. & intra-  
epiſt. 78. 94.*

**C**VM à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes affensu, auctoritate praesentium inhibemus ut nullus vobis qualibet violentia vel surreptionis aftutia in Præpositum præferatur nisi quem vos cum consilio diocesanii Episcopi, virum quidem idoneum, in fide recta, fana doctrina, & honesta conversatione probatum, duxeritis eligendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

*ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS  
Terraconensis Ecclesiæ.*

*Epiſt. 78.  
De eadem re.*

**C**VM inæstimabile pretium sanguinis Iesu Christi teneamus in animabus redemptis ex injuncto nobis apostolatus officio custodiare, non solum veraciter penitentibus clementer impendere veniam nos oportet, verum etiam pertinaciter delinquentes instanter ad penitentiam provocare, ne si vel his paternam consuetudinem, vel illis sollicitudinem subtraxerimus pastoralem, tot videamur ejusdem pretij redemptioni subtrahere quo in sal-

vatione ipsius nostra potuissemus vigilantia conservare. Quapropter venientes dudum ad apostolicam fidem dilectos filios Durandum de Osca & Guillelmum de sancto Antonino & Iohannem de Narbona & Ermengaundum & Bernardum Biterrenses & Raymundum de sancto Paulo & Elbinum ac socios eorum paterna benignitate suscepimus, & ea quæ nobis tam pro se quam pro fratribus suis exponere curaverunt pleno concepimus intellectu. Ex his ergo quæ nobis de articulis fidei & sacramentis Ecclesiæ diligenter examinati dixerunt cognovimus eos fidem sapere orthodoxam & catholicam astruere veritatem. Ad majorem tamen expressionem, appositis evangelii, & scripto confessionis eorum inposito super illa, recepimus ab eis hujusmodi juramentum. Ego, inquit Durandus de Osca &c. ut ſupradicta lib. XI. epiſt. CXCVI. Scriptum autem confessionis eorum est talis. *Pateat omnibus fidelibus &c.* ut ſupradicta paucis mutatis, quæ illic adnotata sunt in margine, usque Ecclesiæ debitas perfolvendo. Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio, per apostolica vobis scripta mandavimus ut recepto à ceteris fratribus simili juramento, reconciliaretis eos ecclesiasticæ unitati, & denuntiaretis eos verè catholicos ac recte fideles, in praescriptis & aliis ipsis secundum Deum ab omni scandalo & infamia servantes immunes, & in litteris testimonialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer juvare. Quia vero, sicut accepimus, occasionsis prætextu quod mandatum hujusmodi communiter suscepisti, ad reconciliationem illorum qui sub praescripta forma reconciliari Ecclesiæ poposcerunt nondum à vobis fuit processum, uno se per alium excusante, quia de caufa multi qui humiliter petierunt intrare, haec tenus remansisse foras Ecclesiæ afferuntur, nolentes, sicut etiam nec velle debemus, ut qui trahi gratia divina creduntur, per duritiam vestrarum ab infinita Dei misericordia repellantur, fraternitatibus vestrarum per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatinus si non omnes his exequendis potuerint interfesse, tu, frater Archiepiscopo, cum quilibet aliorum constitutos in Terraconensi provincia hujusmodi penitentes juxta praescriptam formam appellatione remota reconciliare procures, circa præfatum Durandum de Osca & Guillelmum de sancto Antonino ac eorum socios secundum præmissum mandatum nihilominus procedendo, eis autem in fide recta & fana doctrina